



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Theosophia vt sit omnium scientiarum sublimissima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Theosophia uti humilitate acquiratur.

Osee 4.

Christiana Philosophia est humilissima ac modestissima. Discitur enim & docetur in occulto, seruetur occulte, & appeti: semper secrete & occulte loquari. Huc facit quod per Prophetam Dominus de animâ religioâ dicit:

Psal. 93.

Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad eor eius. Beatus homo, quem tu erudiris Domine, non foris sed intus: non in publico (ubi vana subrepat laus) sed in secreto, ubi non timeatur pestifer status vanæ gloriæ cuncta bona dissipantis.

Perſius.

Elat. 4.

At mundi sapientia non intus sed foris gloriam quærens, propalam docetur in scholis, in gymnasijs, in hominum frequentia, nec se patitur ab hominum noticiâ secludi, sed vult cunctis innotescere, ut lauderar ab omnibus. Quod genus homines irridens Perſius: *Scire tuum, inquit, nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.* Istis per Prophetam dicit Spiritus Sanctus: *Filij hominum vsque quo graui corde: ut quid diligitis vanitatem, & quantu mendacium?*

Theosophia uti minimè sit obscura.

Num. 12.

Christiana sapientia est euidentissima, siquidem per eam Deus (qui est obiectum lucidissimum) perspicuè & abundè cognoscitur. Nam Moyses contemplator præcipuus, Deum facie ad faciem nouit, & palam vidit, non per ænigmata & figuras. Quid verò possit esse opacius, quàm Deum per contemplationem cernere?

Eccle. 8.

Mundi autem sapientia obscurissima est & maximè ambigua, nec quicquam per eam certò cognoscitur, sed cuncta quasi per accidentia agnoscimus. Nota est illa Sapientis sententia: *Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum que sunt sub sole: & quando plus laborauerit ad querendum, tantè minus inueniat.*

Theosophia quantæ sit præstantiæ.

Christiana Philosophia, & vera diuinorum contemplatio, dignissima est, utpote quæ circa præclarissimum versatur obiectum, ipsum videlicet Deum omnipotentem, qui est omnium perfectionum & bonorum pelagus infinitum.

Iacobus.

Mundi autem sapientia est reuera vilissima, quandoquidem circa creaturas vilissimas occupatur: puta circa materiam primam, (quæ est imperfectissima,) circa quantitates, & secundas intentiones, alijs eiusmodi: si quid verò de Deo vel cœlestibus agat, prorsus confusa est, & generali quadam ratione dæcitur. De qua est illud Iacobi Apostoli. *Non est istorum sapientia desursum descendens à patre lumininum, sed terrena, animalis, diabolica.*

Theosophia ut sit omnium scientiarum sublimissima.

2. Cor. 12.

Christiana sapientia est sublimissima: Excedit enim tum Physicam, tum Metaphysicam scientiam: illam quidem quod eâ in re versatur, quæ non potest ratione naturali attingi aut inuestigari: istam verò, quod id tractat, quod non potest villo humanæ intelligentiæ actû perspicui vel cognosci. O admirandam, ô sublimem, ô diuinam & maximè appetendam sapientiam! quàm didicit Apostolus, cum raptus in tertium cœlum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Poet.

Porro humana sapientia prorsus abiecta & infirma est; quia de visibilibus, & corporeis, & ijs quæ humanâ possint ratione ac intelligentiâ contingi agit: suiq; sectatores in infimis semper retinet, efficitq; vanitati deditos, vt non possint assurgere ad cœlestia contemplanda & amanda.

Theosophia quam sit opulenta.

Christiana Philosophia ac vera contemplatio est abundantissima; siquidem non implet modo, verum etiam copiosè inundat animam rationalem bonis spiritualibus. In ipsa enim Diuinorum contemplatione, ex illo potatur fonte Diuinæ essentiæ ac immensæ Beatitudinis, de quo quisquis biberit, non sitiet in æternum, eademq; contemplatio mentem cœlestibus replet intolletibus. 1. Cor. 4.

Atqui mundi sapientia inanissima ac summè indiga & inops, semperq; famelica est, nunquam exaciens nec tranquillans animum. Quam qui biberit, sitiet amplius. Cui qui etiam penitus immoriuntur, nihil obtinent internarum animi diuitiarum, nihil salutaris ac veræ sapientiæ: sed manent miseri ac stolidi, seipos inaniter hominibus venditantes, vt sint in precio apud alios, cum apud Deum & in sua ipsorum conscientia nihil sint.

Theosophia quantum ditet ornetq; animam rationalem.

Christiana ac mystica sapientia est longè gloriosissima. Implet enim & decentissimè foris & intus componit, ornat & ditat hominem virtutum, morum, charismatum, donorum, beatitudinum & fructuum splendoribus pulcherrimis: nec vlla alia scientia perinde gloriosam, fecundam, locupletem ac illustrem reddit animam, non modo in hoc seculo, sed & in æternâ beatitudine. De qua præclare dicit Author libri Sapientiæ: Optaui, inquit, & datus est mihi Sap. 7. sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ. Et proposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi pariter omnia bona cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Et latatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia. Et ignorabam, quoniam omnium bonorum mater est. Quam sine fictione didici, & sine inuidiâ communico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitia Dei, propter disciplina dona commendati.

Contra verò mundi obscura sapientia multis & foris & intus hominem replet confusionibus, & perturbationibus, puta, infidelitate, hæresi, incantationibus, superbiâ, inuidiâ, lasciuia, blasphemâ, indignatione, &c. Vide Apostolum I. Tim. 6 ad Timoth. 11. Inde est, quod plerique omnes mundanæ sapientiæ addicti, pronissimi sunt in lites, concertationes, pugnas: unde oriuntur hæreses & mala innumera, dum alij alijs cedere nolunt, sed suam quique sententiam pertinaciter defendunt, inflati sensu carnis suæ, & spiritu tumidi. Quo fit vt difficilimum sit,